

*Concessio in feudum Alberico Matisconensi Comiti
à Monasterio Agaunensi facta.*

Ex Cancellaria Sancti Mauritii Agaunensis.

IN nomine Dei æterni. Quicumque res Ecclesiæ sub usu Beneficii acquirere desiderat, ab ejusdem Rectoribus Ecclesiæ suffragium & tuitionem petat, quorum videntur subesse dominationi. Quapropter omnibus Christianis notum esse volumus, quod nos fratres de Congregatione Sancti Mauritii Agaunensis Monasterii, Meynerius videlicet Præpositus & cæteri Fratres inibi Dominio famulantes; qualiter tu *Alberice Comes*, petiisti humiliter, quasdam res nostras quæ sitæ sunt in pago *VVarascum* & in *Comitatu Scodingum*; scilicet Ecclesiam quæ est constructa in honorem Sancti Petri in *Calme Arlicana* *, cum omnibus appenditiis quæ ibi aspicere videntur; *Fiscum Sichum* cum appenditiis suis; medietatem de *Feofingo* & quidquid ad ipsam medietatem pertinet. *Chivriacum Fiscum* cum omnibus appenditiis suis; *Bracon* & quidquid in *Salinis* habere videmur ex supra dicta re cum omnibus appenditiis; potestatem *Arecii* *, cum Ecclesia Sancti Melanii cum decimis & omnibus appenditiis excepto altari; Ecclesiam Sancti Mauritii in *Camblasio* *, cum potestate ipsa & decimis, & omnibus appenditiis suis, & aliis in has potestates infertis, & ubicumque acquirere potest. De Turmâ * vero Jurensi, scilicet *Ozejas* *, & quidquid in has partes pertinere videntur, tibi & filiis tuis *Leoraldo* & *Humberto* post tuum deceßum, jubente & consentiente Domino nostro *Conrado* excellentissimo Rege concedere debemus, quod & ita fecimus. Eayè ratione, ut annis singulis ad festivitatem Sancti Mauritii, in censum persolvatis ad Fratres, solidos viginti & septem, ad Secretarium xii. solidos, à Turma Jurensi solidos duos, de unaquaque Ecclesia solidos xv. & ut de ipso censu negligentes non appareatis, si negligentes in uno anno fueritis, in alio duplum componatis. Et hoc super insertum, alienare potestatem non habeatis; sed post vestrum deceßum omnis integritas meliorata, quando quidem Dominus voluerit ad nos revertatur. Hæc præstaria firma & stabilis permaneat cum stipulatione subnixa. Meynerius Præpositus consensit & subscripsit. Simon Levita consensit & subscripsit. Chuonradus Levita. Eucherius Levita. Eg. Henricus Gynk Notarius, banc præstariam scripsi, datum die Dominico anno v. Regnante Chuonrado Domino Rege.